

*l. 88. in f. ff. d. Her. Inst. adeoque adhucdum existit creditor Sempronii. arg. l. 5. C. d. Her. vel act. vend. l. 16. ff. d. pact. eidem suo debitori succedit, per quam successionem hoc creditum & debitum confunditur, quia vero venditor omne id tenetur emptori præstare, quod tempore aditionis adfuit, idcirco ad id ipsum, quod Sempronius defuncto debuit, emptori restituendum venditor actione ex empto conveniri poterit, quia eo plaris hereditas venisse videtur, quod in ea esset nomen Sempronii: Et hic est casus d. l. 20. pr. ff. d. Her. vel Act. vend. v. Cujac. ad d. l. 20.*

## XXI.

Idem obtinet, si testator prædium dominans, cui fundus ipsius heredis servitatem aliquam debet, Titio sub conditione legaverit, tunc enim pendente conditione heres utriusque prædii & dominantis & servientis est dominus, adeoque stricto jure servitus per aditionem hereditatis est confusa, & per confusionem extincta, si vero conditio postea purificetur, adeoque legatario fundus jure superior tradendus veniat, servitus extincta sit restituenda, ita ut si heres eam restituere detrectet, ad hoc actione ex testamento a legatario compelli possit. *l. 116. §. f. ff. d. leg. 1.* Et vicissim, si testator alicui prædium, quod heredis prædio servitatem debet, sub conditione legaverit, non aliter id heres præstare tenetur, nisi servitus illa per aditionem hereditatis confusa heredi restituatur. *l. 70. §. 1. ff. d. leg. 1.* ita ut si legatarius fundum legatum petat, nec patiatur servitatem iterum imponi, exceptione doli mali repellatur. *l. 18. ff. d. Servit.* cum tale sit præstandum legatum, quale relictum. *d. l. 116. §. f.* Hinc si heres omissa retentione ædes legatas tradiderit, servitatem ut indebite traditam condicere poterit. *l. 8. ff. d. Act. Empt. Zæf. ad d. t. d. Her. vend. num. 10.*

## XXII.

Procedit autem hoc tantum in servitute prædiali, aliter enim se res habet in usufructu, quod si enim nudus proprietarius fundum, in quo heredi jus utendi fruendi competit, Titio legaverit, servitus illa personalis ita confunditur, ut non amplius restituenda sit, neque etiam legatario petenti totum fundum cum usufructu

usufructu